

spissitudine vel altitudine suâ potissimum in Astronomiâ cœlorum intuitu; partim in Opticâ, tanquam apparentiarum præcipuæ species, hucusque tradi consueverunt. Quibus recentiores addunt tum *gravitatem*, unde tantum non omnes effectus hydrostaticos deducunt; tum admirandum illum *Elaterem*, quo vel sibi relictus aër incalescendo intumescit, refrigerando subsidet, unde *Thermoscopiorum* origo; vel intrusus intta canalem, salvâ renitendi virtute, comprimitur, indeque remoto pessulo pyrii pulveris instar erumpit, unde *Sclopetorum pneumaticorum* progenies; vel exantlatus in vacuum à se relictum locum auxilio sui ponderis redire nititur, quod ad miraculum ostendunt celeberrimi Dn. Gerikii non ita pridem inventa *Instrumenta Magdeburgica*.

Sed & à veteribus Mechanicæ cultoribus jam detegam, & *Æolipilâ* demonstratam ejus ex aquâ genesin huc non iniquè revocaveris, cujus specimen sit

XVI. *ÆOLUS DOMESTICUS*, ein Lusti-Schöpffer/
Conclavibus ventum perpetuum quandocunque placuerit, gratum in æstate refrigerium, conciliandi rationem completens.

CAP. XIX.

De Hydrometria.

§. I.

Hydrometria est scientia aquarum secundum attributa sua determinatè spectata. Inter quæ præcipua sunt i. *Motus*, tum marium, iique vel generales vel speciales, inter quos principatum tenet *Æflus* marinus, sive fluxus & refluxus maris;